

Conradus Laurembergius    Martinus Harsenius

## **Problemata Psychologica XX. diversas de anima opiniones generatim ac breviter exhibentia**

Rostochii: Pedanus, 1623


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729450651>

Druck    Freier  Zugang



Traes. Lauenberg, Conrad  
Resp. Harsenins, Martin

R. M. phil. 1623



PROBLEMAT<sup>a</sup>  
PSYCHOLOGICA XX.

diversas de animâ opinio<sup>102.</sup>  
nes generatim ac breviter  
exhibentia,

qua

DEO AUXILIANTE

In Incluta Academia Rostochiensî

PRÆSIDE

M. CONRADO LAUREMBERGIO R.  
S. Theol. Stud.

Tuebitur

MARTINUS HARSENIUS  
Strand. Hofi:

Mense Januar. die



ROSTOCHII,

Excudebat Joachimus Pedanus,

ANNO M. DC. XXIII.

*R. 1623 (Defekt)*





ΣΥΝ ΘΕΩ.



Non solum nobilis est, & condigna scientia ψυχολογική, utpote animam, divinæ auræ particulam habens subiectum; sed & gravis admodum, ægrè namq; animæ essentiæ & potentiæ, & passiones investigantur, cuius genus & forma & differentia propria adduci nequeunt: Neq; enim est quod quisquam se animæ substantiam, quæ captum humanum planissimè transcendit, aut imaginatione concipere, aut verbis ob oculos ponere posse confidat, tantum à fine, effectis & accidentibus declaratur & cognoscitur: Verumenimvero ardua hæc difficultas ad id insaniam nos neutiquam adiget, ut animam in naturâ rerum existere, absurdò eamus inficias: Movent nos evidentissima & creberrima scripturæ sacræ testimonia, adigunt philosophorum plerorumque suffragia & autoritates, persuadent deniq; effecta & operationes animæ, ut illam revera esse & vigere statuamus. Igitur ulteriori misso proloquio generatim & breviter doctrinam hanc consideraturi, talia ponimus problemata.

PROBLEMA I.

An cognitio Animæ pertineat ad  
Physicam?

*Explicatio Questionis.*

*Scientiam anima variæ sibi disciplina vendicant, Theologia, Medicina, Ethica & Physica: Sed de duabus posterioribus, num rectè de animâ agant, à compluribus dubitatur & in controversiam vocatur: Hac vice tantum perpendemus argumenta pro & contra Physicam pugnancia.*

A 2

RA

## RATIONES NEGANTES.

I. *Omne subiectum Physicum est Corpus. Anima non est corpus: Ergò anima non est subiectum Physicum.*

II. *Nullum spirituale est naturale seu physicum. Anima est spiritualis. E. Anima non est naturalis.*

III. *Quicquid in unâ disciplinâ est homogeneum, illud est in alterâ heterogeneum. Quia disciplinæ quæ frustra multiplicandæ non sunt, distinguuntur à subiectis, quæ integrè explicant. Doctrina de Animâ est homogenea in Theologiâ. Theologi enim locum de anima ex professo tractant: Quin & Medici longè exactius de animâ & corpore animato differunt, quam philosophi. E. est heterogenea in Physica.*

IV. *Immortale non est physicum. Physica enim à Φύω, (quod significat orior seu nascor) dicitur, quod ea tantum subiecta pertineant ad physicam, quæ generationi & corruptioni sunt obnoxia. Anima est immortalis E.*

V. *Incorporea pertinent ad Metaphysicam: Quia Metaphysica considerat ἀνώγειν ὄντα & entia actu à materiâ separata. Anima est incorporea. E. pertinet ad Metaph.*

## RATIONES AFFIRMANTES.

I. *Principium corporis naturalis pertinet ad Physicam: Nam subiectum aliter quam per principia & affectiones considerari nequit: Et omnia subiecti principia ad eandem pertinent cum subiecto scientiam. Anima est principium corporis naturalis. Primò enim est forma corporis animati, animatum autem corpus est naturale. Deinde est causa affectionum naturalium, videlicet generationis, nutritionis, accretionis &c. E. pertinet ad Physicam.*

II. *Inanimatum corpus pertinet ad physicam, igitur & animatum. Ac per consequens etiam Anima. Sequelæ ratio*

tio

tio patet: Nam, quæ ejusdem generis univoci proximæ species sunt, ad eandem pertinent disciplinam; Animatum & inanimatum sunt ejusdem generis proximæ species, corporis scilicet perfectè mixti.

### RESOLUTIO.

Non est absurdum ut una eademq; res in diversis consideretur disciplinis, diversâ institutâ relatione seu meditatione. Sic hominem informat Theologus, Jureconsultus, Ethicus: Eundem vero sanat Medicus: Naturam ejus cum ratione omnium membrorum tum affectionum demonstrat Physicus. Sic ferrum pertinet ad Physicam & artem fabrilem; Affectus ad Physicam, Ethicam & Rethoricam: Eodem modo animæ considerationem variæ sibi vendicant disciplinæ; Theologia, prout est subjectam peccati originis, justificationis & æternæ salutis. Medicina, prout conjungitur cum corpore animato: Ethica, prout est subjectam felicitatis virtutum moralium & intellectualium, Physica prout est animati corporis principium & causa vitæ, ejusq; omnium operationum; nam separata anima à Corpore organico amplius physicæ considerationis non est, sed aut Metaphysicæ, aut Theologiæ.

### AD RATIONES OPPOSITAS RESPONDETUR.

*Ad I. Concedendo totam Argumentum; Anima enim non est subjectum physica, sed principium animati corporis naturalis: Scientia vero non tantum de toto subjecto, sed etiam est de principijs & affectionibus subjecti.*

*Ad II. Quod anima separata à corpore non amplius sit considerationis physica; in corpore vero, tanquam forma & causa vitæ existens, non quidem sit physicum subjectum, sed tantum principium.*

Ad

Ad



Ad III. Limitando Majorem; Quod videlicet certo considerandi modo homogeneum est in unâ disciplinâ, in alterâ heterogeneum est. Hic vero sunt diversi considerandi modi.

Ad IV. Quod major tantum loquatur de subjecto non de principijs nam aliâs & materia prima, & cælum diceretur immortale.

Ad V. Quod Anima licet ad principia sit incorporea, sit tamen quid corporis, principium scilicet & forma ejus.

## PROBLEMA II.

### Quid sit Anima?

#### Explicatio Quæstionis.

**D**E anima essentiâ semper dubia veterum fuisse sententiâ: Philosophus lib. 1. de Animâ, bonam earum recenset partem: Democritus & Leucippus asseverârunt Animam esse ignem & calorem quendam ex atomis sphericis conflatum, hoc est spiritum incertum atomis: Pythagorici quidam virtutem atomorum autumârunt animam esse motricem: Anaxagoras putavit eam esse intellectum; Empedocles statuit illam ex quatuor elementis lite & amicitia constare: Plato in Timæo docet Animam ex numeris & ideis esse compositam: Xenocrates ipsam numerum existimavit seipsum moventem: Thales Milesius asseruit aliquod motivum esse animam, Heraclitus igneam vaporem esse contendit. Acmaeon immortalem; Diogenes animam affirmavit esse aërem, Hippo aquam, Critias sanguinem. Atq; hæc opiniones duodecim non absone versculis his continentur,

Sic sunt ponentes animam primi sapientes.

Ignem Democritus: Atomos Leu Pythagorasq;

Ponit: Anaxagoras intellectum; & Elementa

Empedocles: Plato posuit numeros & Ideas.

Et

Et Thales animam memorabitur esse motivam.

Aëra Diogenes, Heraclitus esse vaporem.

Comparat Alcmaeon hanc immortalibus. Hippus

Dixit aquam, Critias animam dedit esse cruorem.

Summus Aristoteles hanc dicit Corporis actum.

Sed explosis his veterum sententijs hodie potissimum controversatur, an rectius Anima definiatur per *negativum* seu temperamentum qualitatum corporis, quæ fuit opinio Galeni, an per *positivum* seu actum Aristotelicum?

*Si Animi  
est Corporis  
actus.*

*sumpti consequentia quæ non  
corporis ita est ma-*

## RATIONES PRO GALENO.

I. A quo dependent operationes animatorum, id est animæ:

Etenim nihil aliud videtur esse anima, quam causa operationum in corporibus animatis. Sed à temperamento qualitatum dependent operationes animatorum: Quia ex temperamentorum varietate, quæ dependet ex diversâ genitura, diversis anni temporibus, & vitæ generibus, ex varietate locorum, ætatum, alimentorum, varij ac diversi oriuntur mores: Hinc nationes nonnullæ bellicosæ, aliæ imbelles &c. perhibentur: Hinc homines quidam ingeniosi, alij stupidi, ignavi, iracundi, &c. Igitur temperamentum qualitatum est Anima.

*dicitur  
tra illam  
vale*

II. Intemperies qualitatum destruit animam: Ergo ejus essentia in temperamento qualitatum consistit. Consequentia ratio est, quia quælibet entia per contraria destruantur: Sunt autem temperamentum & intemperies contraria. Antecedens quotidiana probatur experientia, nam quando excedunt una & plures qualitates, animatum corpus interit.

III. Si anima non esset temperamentum, adfectus seu primi motus non haberent tantam vim in anima: sed consequens est falsum. E. Ratio consequentia est, quia non potest dari

dari

dari ulla causa, cur primi motus non sint in nostrâ potestate, quam quod animatorum dependeat à temperamēto.

### RATIONES OPPOSITÆ.

I. *Temperamentum est mutabile*: Quia unius & ejusdem hominis temperamentum varijs modis mutari potest. *Anima non est mutabilis*. Quia una eademq; semper hominis manet anima. E.

II. *Temperamentum est accidens*. Nam, si qualitates sunt accidentia, multo magis accidens erit illarum temperamentum. *Anima non est accidens*, legitur neq; *temperamentum*.

III. *Si anima esset temperamentum etiam lapides & metalla essent animata: sed consequens est falsum*. E. Rat. Conf. Nam metalla & lapides, ut & alia quædam naturæ opera, non minus certo constant temperamento, quam plantæ & animalia.

IV. *Si anima esset temperamentum, esset materialis. Sed consequens est falsum*. E. Ratio Conf. patet. Quia temperamentum dissolvitur: Assumptionem probant Auctoritates Theologorum & præcipuorum Philosophorū.

V. *Quod corporis adfectus moderatur, corrigit ac dirigit, non est Corporis temperamentum*. Nam si anima esset corporis temperamentum, ejus affectibus non resisteret. *Anima corporis adfectus moderatur, corrigit & dirigit*. E. *Anima non est temperamentum*.

### RATIONES CONTRA ARISTOTELIS ENTEΛ'EXEIAN seu ACTUM.

I. *Causa non rectè definitur per effectum*: *Anima est causa actus, scilicet vita, qua motus corporis definitur*. E.

II. *Quacunq; definitio non convenit definito omni tempore est vitiosa*. Quia definitio integram continere & explicata.

plicare essentiam & cum definito semper converti debet. *Hac talis est.* Nam primò non convenit animæ separata: Hæc n. non est actus corporis naturalis organici: Deinde nec convenit animæ intelligenti, quæ est inorganica: Insuper animam facit mortalem, quia si anima est corporis actus, necessum est, ut corpore destructo etiam destruat anima. *E. est vitiosa.*

III. *Quæcumq; definitio sumitur ab alterius relatione & perfectione, non à propria essentiâ, ea est vitiosa.* Nam definitio propriam rei essentiam explicare debet, non alienam. *Hac talis est.* Etenim qui definit animam actum vel perfectionem corporis, ille nihil, quod animæ proprium sit, definit, sed corpus respicit. Ergò

IV. *Quæ definitio non convenit omnibus definiti speciebus, est imperfecta.* *Hac talis est:* Quia organicum esse non convenit omnibus animatis, cum quædam sint quæ vivunt & moveantur sine organis, ut spongiæ, urticæ marinæ: sic item plantæ videntur corpora inorganica. *Igitur est imperfecta.*

V. *Genus & species sunt in eadem categoria: Anima & actus non sunt in eadem categoria:* Nam anima est substantia, Actus vero accidens: Aristoteles enim scientiam appellat actum primum, contemplationem vero actum secundum: *Igitur anima & actus se non habent ut genus & species.*

#### RATIONES PRO ARISTOTELIS SENTENTIA.

1. *Quæcumq; definitio principij explicat proprium minus, ea est perfecta.* Nam principium nec debet nec potest aliter definirî, quam relatione ad suum principiatum: quia principij esse relativum est, & in eo consistit, ut referatur ad principiatum: Quod si absolutè definiretur juxta propriam essentiam per genus & differentiam, non ut principium

B

pum

pum, sed ut principiatum definiretur: Genus enim & differentia sunt definiti principia: Aristotelis definitio principij explicat totum munus. Quia cum anima sit forma animati corporis, rectè definitur per actum seu definitionem: Omnis n. forma formati est actus seu perfectio: Animatum vero corpus in eo ab alijs distinguitur, quod sit naturale organicum.

11. *Animâ est substantia non accidens: Erit igitur vel composita substantia, vel actus vel potentia; sic enim substantia dividitur: Composita non est, nec potentia, cum sit perficiens. Relinquitur igitur animam esse actum: Cumq; actus alius sit primus ut forma, alius secundus ut operatio formæ; anima primus actus est, quia à priori non dependet. Est v. actus Corporis, nam incorporea non animata, sed potius animæ dicuntur, & est actus corporis naturalis, non enim artificiale corpus informat anima: Nec tantum omnis corporis naturalis actus est, sed tantum organici, solum namq; corpus organicum seu dissimulare animatum esse potest, quod vero diversis partibus aut membris caret, ineptum est ad vitam.*

**RESOLUTIO.**

*estensum re*  
*an à pnd*  
*val. 48. An*  
*veritate.*  
*vitam hui*  
*tu nro q*  
Præcipua difficultatis causa esse videtur, quod formatum natura non satis sit cognita. Diligenter itaq; observandum, quod Physicus aliter animam non consideret, quàm ut est animati corporis forma, quodq; non à priori, ut dictum est, sed à posteriori sit cognoscenda, scilicet à subjectis & operationibus: Minus rectè igitur agere videntur, qui an elementaris, an vero cœlestis sit anima, operose inquirunt; ut enim nulla forma componitur ex elementis, ita nec anima. Formæ enim simpliciter sunt actus, qui rebus elementaribus addunt speciem: Non aliter ac in arte statuaria, forma, quæ in statuam inducitur, nec li-

*si. In anima non sumitur proprie sed & metonymia subiecti p. gnea*  
*passiva in anima*  
g. 111.  
ant vig et. R. Est ambiguitas in vocabulo spiritus. Nam cum anima spiritus dicitur, ipsa anima spiritualis essentia intelligitur, & ante flatum aliquid accidentalis. Arg. 11. Quod est in alio dicitur. & p. distinctionem

gnea nec elementaris dicitur, sed actus figuram certam  
constituit: Nec illi satis physicè sentiunt, qui animam  
considerant tanquam Ens per se in parte corporis aliquâ  
interiori residens: Forma enim sic absolute consideranda  
non est, nec una tantum in parte quasi conclusa consistit,  
sed totum informat formatum, & formato nomen & essen-  
tiam largitur: Rectè igitur anima ab Aristotele definitur,  
quod sit actus primus corporis naturalis organici, seu po-  
tentia vitam habentis.

### AD RATIONES PRO GALENO ADDUCTAS RESPONDETUR

*Ad I. Quod per accidens operationes animi sequuntur cor-  
poris temperamentum: anima enim non agit, nisi per corpus  
tanquam instrumentum: Nam anima per se liberum est agens,  
quia vero corpore utitur, igitur ad ejus temperamentum sepius  
inclinat, id quod semper attestatur experientia.*

*Ad II. Quod ad animatum corpus non tantum anima sed  
& spiritus, humores, & alia referantur, quibus sublati neces-  
sario interit animatum corpus.*

*Ad III. Quod primi motus non sint absolute violentes,  
sed possint corrigi, quodque dicti motus fiant propter corpus, quo  
tanquam instrumento utitur anima.*

### AD RATIONES CONTRA ARISTOTELIS SENTENTIAM ALLATAS RESPONDETUR

*Ad I. Quod sit homonymia in vocabulo actus, Nam actus  
alius est primus, ut forma; alius secundus, forma operatio.  
Per primum actum definitur anima, per secundum, vita. Pra-  
terea vita non est actus corporis organici, hoc enim non infor-  
mat nec perficit, sed est actus facultatum anima, quæ acciden-  
tia sunt in corpore animato. Adde quod ineptè vocabulum  
actus adversarij accipiant pro agitatione.*

B a

Ad

*accidens est p. subiecto, id non est substantia: At anima sum-  
pta in alio, nempe in corpore, sed non ut illi insereat, sed ut p.*

Ad II. Hanc definitionem esse physicam; separata verò anima physica non est. An verò anima sit inorganica & immortalis, disputabitur in sequentibus.

Ad III. c. Majorem tantum esse veram de speciebus compositis, falsam autem de principijs, quod antea demonstratum est.

Ad IV. Negando minorem: Nam, ut planta diversas habent partes seu organa, ut sunt radix, truncus, ramus; ita cuncta animata dicuntur qua certam habent radicem & sensibiles meatus.

Ad V. Quod anima & actus non sunt species & genus: hac enim composita sunt, suisq; constant formis, quibus constituuntur: Attamen est simplex forma. Deinde, non omnis actus est accidens, sed actus substantiarum est substantia, actus vero accidentium est accidens, sive primus, sive secundus; unde scientia, quamvis sit accidens, tamen ab Aristotele actus primus perhibetur.

### PROBLEMA III.

An anima sit Natura?

Explicatio Questionis.

Simplicij est opinio, animam & naturam esse distincta principia; Alij vero animam ipsam esse animati naturam sub definitione Natura contendunt.

#### RATIONES PRO OPINIONE SIMPLICII.

I. Quorum principiorum effecta differunt, ea quoque inter se differunt: Anima & natura effecta differunt. Quia motus alij sunt naturales, alij animales: Et in Medica facultate sæpe occurrit quæritio, an Actio quædam sit naturalis, an vero animalis? E. Anima & Natura inter se differunt.

II. Quæ definitione differunt, realiter differunt: Anima & Natura differunt definitione: Alia enim est naturæ, alia animæ definitio. Igitur realiter differunt.

Natu-

III. *Natura est elementaris & corruptibilis: Anima non est elementaris. Ideo neq, est natura.*

IV. *Si anima esset Natura species, etiam esset species forma corporis mixti: sed consequens est absurdum: E. & antecedens. R. C. manifesta est; Nam forma mixti vicinius genus est animati, quam corpus naturale, animatum vero immediatè dicitur mixtum, naturale verò intercedente mixto, ut patet in arbore prædicamentaria: Si itaque natura tanquam genus continet in se animam, & corporis mixti forma in se continet formam, anima erit neq, natura, nam non minus animatum est mixtum quam naturale.*

### RATIONES OPPOSITÆ.

I. *Internum principium motus & quietis est Natura; Hæc est naturæ definitio, quæ cum definito convertitur. Anima est internum motus & quietis principium; Est enim internum generationis, alterationis, accretionis, motus localis, nutritionis &c. principium. Igitur anima est Natura.*

II. *Animatum est species naturalis, E. Anima est species natura. Confratio est. Quia Generis forma in se complectitur omnium specierum formas, & prout genus dicitur de speciebus inferioribus: sic forma generis de formis specierum prædicatur juxta regulam antepredicamentale.*

### RESOLUTIO.

Qui alteram animæ definitionem, quam Philosophus tradidit, omnemq, adeo accuratè inuenerit illius circumstantiam, videlicet quod vivamus primo animam, secundo corpore, quæ est peculiaris secundum diversas particulas, & in specie cuiuslibet competit animæ descriptio, adiungiturq, illa, quæ à philosophis passim de Natura generatim docentur, is ultro facietur simplicij sententiam planè absurdam esse; Quapropter.



AD RATIONES PRO SIMPLICIO ADDU-  
CTAS RESPONDETUR

*Ad I. Negando majorem: Nam ab uno eodemq; principio saepe dependent contraria effecta: Quemadmodum Sol emollit & indurat butyrum. Deinde ad Minorem, per distinctionem: Vocabulum Natura interdum generaliter accipitur, & opponitur violentia & arti; complectitur vero inanimatorum & animatorum formas, prout definitur lib. 2. physic. Interdum sumitur specialiter, prout opponitur voluntati: Ac naturale quidem dicitur, quod datâ materiâ idonea actionem deferre non potest, voluntarium vero seu animale, quod datâ materiâ idoneâ etiam non agere libere potest.*

*Ad II, Negando minorem; Non enim differunt definitione, cum altera sit generis, altera speciei: Genus enim & species non differunt propriè, sed tantum sunt diversa, quemadmodum animalis diversa quidem quam hominis est definitio, & tamen animalis definitio etiam homini convenit, & hominis definitioni animalis neutiquam contrariatur.*

*Ad III. Primò, Majorem tantum esse particularem, Nam calè Natura nec elementaris est nec corruptibilis: Deinde, quod non omnis anima sit incorruptibilis, vocabulo communiter accepto.*

*Ad IV. Negando consequentiam. Nam aliter de corpore animato dicitur corpus naturale quam corpus mixtum. Quia corpus perfectè mixtum idq; dissimulare & organicum non tam legitimum genus est animati, quam sola tantum ejus materia; Animatum enim duabus constat partibus, materia & forma: Materia est corpus organicum, forma est anima. Statuendum itaq; corpus naturale non esse genus simpliciter univocum, sed quod dicitur ab uno, quodq; dividitur in simplex, mixtum & animatum, sed ita, ut mixtum dependeat à simplici: Ad*

*homonymia in nomine corporis: Nam Tertulliano corpus <sup>mixtura</sup> generaliter  
est substantiam vere subsistentem, sive sit visibile sive invisibile.  
In quoque dicitur corpus. sed sicut accipitur istas in quibus vitare  
V. Consequenter est visibile non est subst. spirituales. R. Existunt  
omnes est visibile nimirum anime univocis.*

mixtum vero perfectè & insuper organicum tanquam ad mo-  
seriam accedat anima natura species.

PROBLEMA IV.

An Anima rectè dicatur spiritus?

Explicatio Quaestionis.

Philippus in libello de animâ disputat contra definitionis  
Aristotelicæ obscuritatem, & ipse animam definit, quod  
sit spiritus intelligens; contra quam vicissim agit Scaliger lib.  
de subtil. Exerc. 367. distinct. 12.

RATIONES SCALIGERI CONTRA  
Vocabulum Spiritus.

I. Equivocum genus est vitiosum; Spiritus est genus æ-  
quivocum: significat enim vocabulum spiritus aërem,  
ventum, sanguinis partem tenuissimam, flatum &c. E.

II. Spiritus est Corpus! Etenim apud omnes Latinos  
& Græcos Philosophos, Medicos, Oratores, spiritus si-  
gnificat Corpus constans materiâ & formâ. Anima non  
est Corpus: igitur non est spiritus.

RATIONES PRO PHILIPPO.

I. Anima ab ipso Spiritu Sancto vocatur spiritus. Eccle-  
siast. cap. 16. v. 7. Revertatur pulvis in terram, & spiri-  
tus redeat ad Deum qui dedit eum. Sic omnes alij Latini  
animam commendant spiritum non est corpus. Ideoq; rectè  
definitur per spiritum.

II. Substantia incorporea est spiritus: Quod constat  
autoritate Ecclesiæ & ipsius Christi. quando DEum ap-  
pellat spiritum. Anima est substantia incorporea. E. Anima est  
spiritus.

RESOLUTIO.

Tota controversia tantum posita est in vocabulis. Phi-  
lippus.

Deum, virtute sui æterni spiritus sine ullâ mââ elementar?  
vitalem (q; forma e nââ simplex) elementari corpori inspi-  
co tanquam organo suo vereat. Arg. III. Tertulliani  
q; primo peccat petitione principij, q; autoritas Patrum Ecclæ

Arg. I.  
est subo  
aerialis  
gen. et  
somony  
nomine  
interdum hinc Galibn in  
interdum  
terdum animi interdum  
spiritu  
vitalem  
prophet  
nificat  
totum hanc  
II. Arg. Hal  
C. R.  
quitas in  
tis, nam  
genesis, n  
proprie  
phora n  
non ad q;  
de Deo usurpari in notu  
etiam reterita con  
sensu e

lippus non rectè sentit de voce Aristotelicâ, quam malè  
per agitationem explicat. Scaliger minus æquè accipit vo-  
cabulum spiritus, quod hoc loco Theologicum; quamvis  
non rectè pro genere animæ in Physicis assignetur, non  
enim absolute, sed relatè ut forma est definienda anima.

### AD RATIONES SCALIGERI RESPONDETUR

Ad I. Quod si vocabulum ambiguum explicetur, & vera  
acceptio ostendatur, tum quidem ambiguitatem non efficiat.

Ad II. Quod apud prophanos Autores spiritus denotet cor-  
pus, apud Theologos vero substantiam incorpoream.

### PROBLEMA V.

Quæ sit Animæ sedes?

Explicatio Quæstionis.

Quæstio est de animâ hominis rationali, quo in membro pro-  
priam habeat sedem? Aristotelici nonnulli in corde ani-  
mam opinantur habitare: Medici sedem ejus propriam cere-  
brum agnoscunt: Alij diffusam esse per totum corpus. Ut au-  
tem sententia & Aristotelicorum & medicorum rectius perci-  
piatur, prius argumenta contra ultimam sententiam conside-  
rabimus.

### RATIONES CONTRA ULTIMAM Sententiam.

I Si rationalis anima rationalis est in qualibet parte ho-  
minis, qualibet pars potest intelligere: At falsum consequ. E.  
& antec. Consequentia ratio est; Quia anima rationalis  
est inorganica, quæ ad operationem sua organa non re-  
quirit.

II. Quod diffunditur per totum corpus id divisibile est ad  
divisionem membrorum. Anima non est divisibilis. Igitur per  
totum Corpus non diffunditur.

III. Si in qualibet parte corporis esset anima, sequeretur remotâ aliquâ parte corporis, removeri simul partem animæ, Quia anima est inpartibilis. Sed falsum est conf. E.

IV. Sicut se habet Rex in regno, ita anima in corpore: Sed rex in uno loco regni sedens, per ministros regit totum regnum. Igitur anima sedens in uno loco certo, per facultates regit omnia membra. Quia ut Rex dicitur anima Reipub. sic anima nuncupatur hominis pars regia.

V. Si anima rationalis est in quolibet membro, erit ubiq̃ tota: sed consequens est absurdum E. & antec. Rat. Conseq. Quia est indivisibilis, & ubicunq̃ est, ibi tota est: Etenim partem extra partem non habet: Assumptum patet, quia alioquin tot essent integræ animæ, quot membra, vel una anima esset simul integrè in diversis locis.

#### RATIONES PRO SENTENTIA ARISTOTELIS.

I. Quod primùm vivit & ultimo moritur est sedes animæ: Quia vita primùm immediatè fluit ab animâ. Cor primùm vivit & postremùm moritur, quod experientia attestatur. E. Cor est sedes Anima.

II. Illa est propria anima sedes, ad quam in gravioribus animi perturbationibus omnes spiritus & sanguis confugiunt: Sed confugiunt ad solum cor: Illud igitur est propria anima sedes.

III. Ubi principium caloris, ibi sedes est anima, Quia calor primùm est organum omnium functionum animi: Cor nativi caloris est primùm principium: Igitur Cor est Anima sedes.

IV. Cujus motu perpetuo reliqua vivunt membra, id est propria sedes anima. Verisimile enim est, ibi animæ esse sedem, ubi perpetuo operatur: Cor autem quamdiu animal vivit, movetur, cerebro in somno quiescente: sed solius  
C cordis

*cordis motu perpetuo reliqua omnia vivunt membra: Idcirco  
Cor sedes est anima.*

### RATIONES PRO CEREBRO.

I. *Ibi propria sedes est anima, ubi functiones ejus appa-  
rent diviniore & nobiliores. Verum in cerebro sunt nobiliores  
ac diviniore operationes. Cerebrum enim est domicilium  
intellectus, ingenij, memoriæ, judicij, voluntatis, & omnium  
sensuum. Ideo, cerebrum est propria sedes anima.*

II. *Illud membrum in homine est sedes anima, propter  
quod reliqua omnia sunt constructa. Atqui propter cerebrum  
constructa sunt: Nam cuncta sensuum organa propter ce-  
rebrum sunt condita: propter sensus vero animali con-  
cessa sunt organa locomovendi, ut ossa, nervi, muscoli:  
Hæc autem ut conserventur, Cor, Epar, ventriculus & re-  
liqua viscera sunt nata: Igitur cerebrum est sedes anima.*

### RATIONES PRO TERTIA OPINIONE.

*sentiam aut  
qualiter  
quod vir  
in facultate  
in corde  
in suo corpore  
in mundo.*

I. *Forma non includitur unâ tantum parte formati, sed  
diffusa est per totum formatum. Nam forma dat rei essen-  
tiam, & cum materiâ ita conjungitur, ut nulla sit materiæ  
pars, quæ formata non sit. Anima est forma hominis: Quod  
constat autoritate omnium Medicorum & Philosopho-  
rum. E. Anima diffusa est per totum hominem: & per Con-  
seq. non tantum est vel in Corde, vel in Cerebro.*

II. *Si anima hominis in uno tantum membro consistit, sequitur  
unum illud membrum tantum esse hominem, reliqua vero acciden-  
tali-ter tantum esse humana. Sed Conseq. falsum, E. & antec.  
Rat. Conseq. Quia ubi tota est forma ibi tota est essentia;  
Et ubi forma non est, ibi nec essentia: Hæc enim imme-  
diatè ab illâ fluit: Ac præterea, si reliqua membra tantum  
facultates obtinent, quæ sunt accidentia, non nisi acci-  
dentaliter erunt humana.*

*Actus*

III. *Actus Corporis organici est in quolibet membro organico: Anima est actus corporis organici. Igitur in quolibet membro est organico.*

IV. *Si partes hominis non obtinerent essentialem formam, qua anima rationalis est; nudis tantum differrent accidentibus à bestiarum partibus. Sed conseq. est falsum E. Ratio Conseq. est: Quia facultates quæ de animæ substantiâ non sunt, mera tantum sunt accidentia.*

#### RESOLUTIO.

Postrema Opinio veritati magis consentanea est. Nam forma rei informet omnes ejus partes oportet, quod superioribus argumentis demonstratum est.

#### AD RATIONES OPPOSITAS RESPONDETUR

*Ad I. Quod anima rationalis non intelligat sine quibusdam requisitis corporeis, probante experienciâ, in ijs, qui ratione uti nequeunt: Cum itaq. dicta requisita non sint in omnibus membris, non etiam possunt intelligere.*

*Ad II. Quod anima per se divisibilis non sit, tamen per accidens, scilicet ratione subjecti corporis, non aliter quam accidentia ad Corpus dividuntur.*

*Ad III. Quod esse dividuum, separabile, totum, magnum, habere partes, & ejusmodi similes affectiones, propriè tribuantur composito ex materiâ & formâ, non principijs: Anima, verò, physicè considerata, non sit, Ens absolutum, sed principium. Deinde, quod physicus Theologorum placita non teneatur defendere.*

*Ad IV. Negando majorem. Nam Rex non est forma regni, anima vero est forma, hominis omnes informans partes.*

*Ad V. Ut partes, verè sic dicta, anima non competunt, ita nec totum; hoc enim nihil est aliud, quam plures partes, nec potest quis vel mente concipere totum sine conceptu partium: Ut igitur totum impropiè tribuitur anima, sic etiam partes.*

AD RATIONES PRO CORDE ET CEREBRO.

Unica sufficit, eaq̄ evidens responsio, quod scilicet anima ratione operationis principalis in certo membro sit, nihilo tamen minus reliqua etiam ignobiliora membra informet, ut qualibet forma.

PROBLEMA VI.

An anima sit dividua?

Explicatio & Resolutio Questionis.

**A** Nimam esse individuum ac impartibilem, sunt qui creberrimo sermone jactant. Notandum vero, illud non tantum esse verum de animâ rationali, sed etiam de qualibet formâ. Nam divisio, propriè sic dicta, non est formarum, sed generum per formas. Sic item partitio partitio totius compositi est, non principiorum. Possunt tamen formæ ut definiiri, ita & dividi à posteriori, hoc est, ratione operationum & subjectorum: Sic anima dividitur in animam plantæ & bruti. Sic anima dicitur rationalis & irrationalis. Eodem modo, licet propriè non tribuantur animæ partes, ut nec albedini vel nigredini, cum non sint quantitates, per accidens tamen ad extensionem corporum etiam animæ sese extendunt, ut etiam color in tabulâ quantitatem per accidens recipit.

PROBLEMA VII.

Qualis sit origo Animæ?

Explicatio Questionis.

1. *est impar* **A** Rdua est, ac gravissimè agitata, nec unquam tamen ob intricatâ difficultatem ex amussim soluta Quæstio de origine Animæ. Fuere tamen varia semper variorum opiniones. Nonnulli, qui Deum animam universi finxerunt, existimarunt, generatione usitatâ & naturali, ubi partita ex dispersa anima, organa sine quibus organo nulla potest effici, At multo alia res est, per generationem non vero organivam sortitur generationem.  
1. Materia mortalis nihil procreat immortale: et. R. Conceditur arg. Nam sperma sine vitali subitanea non potest

animam esse particulam divinae essentia. Alij & quidem Platonici statuerunt, animas olim fuisse angelos, qui in hominum corpora detrudantur. Pythagorici transmutationes animarum ex uno corpore in aliud introduxerunt. Hodie multi sentiunt, omnes omnium hominum animas simul in creatione à Deo fuisse creatas, quae deinde successivè in corpora fundantur: Alij Deum adhuc quotidie animas creare opinantur. Deniq; sunt, qui existimant, quod, sicuti filius corpus habet à parente, eodem modo etiam habeat animam, & proinde animam esse ex traduce: Nos hac dissertatione disputabimus, an anima rationalis à Deo immediatè infundatur; an vero originem habeat ab animâ parentis?

### RATIONES CONTRA TRADUCEM pro Creatione.

I. Si anima esset ex traduce, toties corrumpetur ac interiret anima, ac proinde toties fieret homicidium, quoties corrumpitur semen: sed falsum est prius. E. Sequelæ ratio est, quia corrupto semine, vel anima in semine simul interiret, & sic non esset immortalis hominis anima: Unde in seminis corruptione committeretur homicidium, & non levis oriretur difficultas, ubinam dicta anima permaneat.

II. Si anima filij est ab animâ parentis, aut plures erunt in patre animæ, aut aliqua pars anima decedet ab animâ parentis: & ideo, ratione liberorum, erit partibilis. Sed consequens est falsum. E. Assumptum prob. 1. Quia una tantum in uno homine est anima. 2. Nam sic pater non haberet animam integram & perfectam.

III. In semine non est imago Dei, est verò in anima: E. anima non est in semine.

IV. Si rationalis anima, hominis essentialis forma, & specifica differentia, esset in semine, semen esset homo: Sed falsum est consequens. E. Sequelæ ratio est, quia, cui competit forma rei,

eadem alteri quædam materia in adu proprio de  
Arg. III. de animâ. Quid qd sentienti su? Hoc argumentum in  
bat nrâ sententiam: si n. Quid non est naty secundum nrâ  
est naty, sed, qd tunc e huius principis pars qd esse ej largit. e  
Arg. IV. sola Deus e tunc huius est. R. Non nrâ sententiam



*instrumento: Requirit n. d. ab immediata creatione.*  
eidem & essentia: Forma enim dat rei nomen, essentiam & definitionem.

*app. res. V. non est mortalis. E. Anima genita non est: Quia eadem sunt generationis & corruptionis principia: Insuper constat universali experientia, quod omne generabile sit corruptibile.*

*et. VI. Huc faciunt multa dicta ex sacris, quae affirmant animam esse à Deo: Et illud Aristotelis. 2. de part. anim. cap. 3. quo intellectum extrinsecus accedere expressè autumat.*

*erjaly. lib. 2. cap. 1. Nam*  
**RATIONES PRO TRADUCE.**  
*quo ad gene. I. Omne perfectum animatum generat secundum eandem speciem: Homo est corpus animatum: E. Homo generat secundum eandem speciem: Et per conseq. secundum eandem formam, quae anima rationalis est hominem constituens.*

*utagis. II. Si filius non generaretur secundum animam à patre, non generaretur à patre ut homo. Sed conseq. est verum. E. Quia homo, quatenus homo, dicitur ab animâ rationali.*

*propaga. III. Si pater non generaret filium secundum animam rationalem, esset equivoca hominis generatio: Sed conseq. est falsum. E. Nam non generaret secundum eandem speciem & formam, non enim totum generaret hominem.*

*quod ma. de inter. form. V. Si anima filij non esset à patre, in filio essent duae animae essentialiter distinctae: sed Conseq. est falsum. E. Sequela ratio est, quia altera anima esset immediatè à Deo condita, altera à parente derivata, & sic homo non esset revera unum quid, nec essentialiter & secundum formam animal dici posset.*

*veratio. y. Si anima non esset ex traduce non esset originalis peccati propagatio. Sed conseq. est falsum. E. Rat. Conseq est: Nam peccati præcipuum subjectum est anima, quae si à Deo immediatè crearetur, omnino esset bona, & sine peccato originali: Nec vero sine impietate quis affirmare potest,*

est, quod Deus animam à se conditam detrudat in peccati corpus, ut peccatis fiat obnoxia.

*VI. Deus septimâ die à creatione specifica quievit: igitur non creantur quotidie novæ animæ.*

*VII. Si anima non esset ex traduce, Christus non assumpsisset humanam animam, sed à seipso creatam & cœlitus demissam: sed Conf. est falsum E.*

*IX. Deus non minus benedixit homini, quam cæteris animalibus. E, ut reliqua animalia, ita & homo generat secundum materiam & formam.*

*IX. Huc item facit quod dicitur Gen. 46. v. 26. Quod anima egressa è femine Iacob: Quod item Adam ad imaginem suam, quæ in animâ consistebat, genuit: Et deniq; quod Eva tota secundum materiam & formam, absq; novæ animæ inspiratione, ex costâ sit producta.*

### RESOLUTIO.

Quamquam in materiâ hac periculosâ complures non infimæ notæ tam Theologi quam Philosophi altercando hæreant, nec quid statuendum sit omnes omnino explicitè asserant; nos tamen rectius arbitramur illos sentire, qui docent, quod parens generet filium secundum corpus & animam.

#### AD RATIONES OPPOSITAS RESPONDETUR

*Ad I. Quod anima non sit actu in semine, nec sit forma vel actus seminis: Sed quod in semine paterno sit vis quadam activa, quæ calore materno exuscitato, & accedente commodâ matertâ, tandem in actum erumpat. Ad allatam probationem Resp. Quod immortalitas animæ non sit naturalis, sed ex singulari divina dispositione, itaq; illa vis in semine, nondum sit anima, quia nondum est corporis organici actus, sed tantum quadam vis ad animam, qualis est in singulis hominibus.*

*Ad II. Negando sequelam: Idem n. argumentum valeret*

*in*

in reliquis omnibus bestijs & plantis: Quamvis n. qualibet planta unica tantum constaret animam, tamen absq. destructione partitione, vel multiplicatione varia producere possint semina fecunda, Homo autem non deterioris est conditionis cæteris animatis.

Ad III. Quod in semine anima non sit actu, sed tantum potestate: ita imago Dei.

Ad IV. Consequentiam negando: Quodq. illa potentia in semine, nondum sit actus aut forma, cum nondum sit corpus organicum, ut in reliquis omnibus plantarum & brutorum seminibus apparet, quæ licet potentiam contineant ad formam, non tamen appellationem inde consequuntur: Non enim semen dicitur planta, aut ovum pullus.

Ad V. Quod generatio nihil aliud sit, quam compositio Anima, & formæ substantialis, qualis tantum est corporum, non tamen principiorum, quæ simplicia sunt. Cum itaq. anima composita non sit, non etiam generari simpliciter dicitur.

Ad VI. Quod dicta sacra scriptura loquantur de prima creatione, non de quotidiana generatione. Ut enim hodie corpora humana non immediate ex terrâ, aut costa viri creantur: Sic nec anima inspiratur. Deinde Aristot. loco citato non agit de intellectu quatenus est primus actus & forma informans, sed de actu secundo: unde simile dictum, Quod nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.

### PROBLEMA IIX.

An immortalitas animæ naturaliter possit demonstrari?

Explicatio Questionis.

**N**on est Quæstio, an anima hominis sit immortalis: Id enim nemo Christianus absq. blasphemiam in dubium vocare potest: Sed an Ethnici immortalitatem animæ naturali lumine agnoscere, ac num etiam philosophicè demonstrari possit? Hæc enim opposita occurrunt opiniones,

R. A.





animam esse particulam divinae essentiae. Aristoteli  
 stonici statuerunt, animas olim fuisse angelos,  
 corpora detrudantur. Pythagorici transmutant  
 ex uno corpore in aliud introduxerunt. Hodie  
 omnes omnium hominum animas simul in crea  
 tione creatas, qua deinde successive in corpora fa  
 ctas Deum adhuc quotidie animas creare opinantur  
 qui existimant, quod, sicuti filius corpus habe  
 dem modo etiam habeat animam, & proinde  
 traduce: Nos hac dissertatione disputabimus,  
 analis à Deo immediatè infundatur; an vero  
 ab animâ parentis?

### RATIONES CONTRA TRADUCE pro Creatione.

I. Si anima esset ex traduce, toties corrump  
 eret anima, ac proinde toties fieret homicidium  
 rumpitur semen: sed falsum est prius. E. Scilicet  
 quia corrupto semine, vel anima in semine  
 & sic non esset immortalis hominis anima  
 nis corruptione committeretur homicidium  
 oriretur difficultas, ubinam dicta anima pe

II. Si anima filij est ab animâ parentis,  
 in patre anima, aut aliqua pars anima dece  
 rentis; & ideo, ratione liberorum, erit partibi  
 falsum. E. Assumptum prob. 1. Quia una  
 homine est anima. 2. Nam sic pater non h  
 integram & perfectam.

III. In semine non est imago Dei, est anima  
 anima non est in semine.

IV. Si rationalis anima, hominis essentia  
 cifica differentia, esset in semine, semen esset hu  
 manum. E. Sequela ratio est, quia, cui comp

*redente alteriq. donec spermat. materi  
 Arg. III. De animâ. Quid qd. sententiâ gu  
 bat nrâ sententiâ: si n. Arg. non est  
 est naty. 500, qd. aia e. h. h. p. p. p. p. p.  
 Arg. IV. Sola Dns e. a. n. p. p. p. p. p.*

